



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Casvvm Conscientiae De Sacramentis

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

Antipharmacum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40295

Idem Beza epist. 8. ad Pseudoepiscopum Londinensem: *Crucis consignatio, etsi vetustissima est, tamen quid utilitatis afferat sanè non video & quamvis mirificè & prorsus υπερβολικῶς à Chrysostomo præsertim, quasi quadam religionis Christianæ summa commendatur, tamen cum neq; autoritate verbi Dei, neque vlllo Apostolorum exemplo, (ἀπόκρυφα enim illa nihil moror) nitatur, id est, cum omni Dei verbo destituatur, nec sanè etiam ad decorum vlllo modo pertineat; denique cum maximè abominanda superstitioni, & omni horribilissima illi hyperdulia crucis, primum aditum patefecerit, multò minus velim illam inter ἀδιάρητες numerare, quàm ancum illum serpentem Ezechias.*

Idem Beza epist. 12. *Signi Crucis, ut olim aliquis fuerit usus, eam tamen esse & quidem adhuc adeo recentem superstitionem maximè execrabilem, certum est, ut rectissimè fecisse arbitremur, qui semel istum ritum ex Ecclesiis expulerunt, cuius etiam non videmus, quæ sit utilitas.*

Antipharmacum.

ADVERSUS hæc Calviniani Bezæ & aliorum Crucis hostium venena, proderit sumere hoc alexipharmacum ex Calviniani synedrij Londinensis apotheca. Nos, privati cuiusq; tum Ministri, tum alterius personæ cuiuscunque, statuimus esse, verum Crucis usum, publica auctoritate præscriptum reuerenter amplecti ac recipere (in baptismo administrando) præsertim cum intelligant res alioqui medias ac indifferentes naturam suam aliquo modo mutare, postquam sub legitimi magistratus edictum vel interdictum venerint, neq; pro cuiusq; libitu præter legem omittendas esse, cum præcipiuntur; nec cum prohibentur, obseruandas. Quo fit, ut propter ipsam Crucis memoriam, quæ apud omnes verè in Christum credentes plurimi semper fuit, &c. Ecclesia Anglicana (Cal-

G

uinia-

uiniana) eius signum in baptizando usq; retinendum censue-
rit, secuta nimirum ea in re Primitiua & Apostolicas Eccle-
sias, atq; hunc characterem pro licita externa ceremonia repu-
tans & symbolo honorifico, per quod infans illius obsequio, qui
Crucis mortem subiit, in perpetuum votus esset & mancipatus:
id quod ex verbis in libro publicæ Liturgiæ expressis facillimè
potest perspicere. Hæc & alia multa in laudem sanctæ Crucis
Caluiniani Angli cōtra Beza & similium Calvinistarum
calumnias decantant: de quibus itidem actum est in Pa-
negyrico Miseno & Tom. 1. de S. Cruce lib. 4.

DE CONFIRMATIONE.

QUÆRITVR I. Vtrum confirmatio sit sacra-
mentum. Respondet Lutherus in captiuita-
te Babylonica, cap. de Confirmatione, se non
damnare septem sacramenta, sed tantum in-
ficias ire, septenarium hunc numerum ex sacris litteris proba-
ri posse. Non ergo negauit Lutherus confirmationem es-
se sacramentum; sed hoc solummodo, eam ex scripturis
probari posse. Et quod de confirmatione diximus, id iti-
dem de Ordine, Extrema vnctione, & Matrimonio in-
telligi debet; quandoquidem & hæc in septenario illo
sacramentorum numero comprehenduntur.

Quæritur II. Num Lutherus in Captiuitate sua seriò
hæc scripserit. Respondetur, negatiue, quia in disputa-
tione contra Louanienses ita scribit Lutherus Tom. 2.
Lat. Witeb. Confirmationem esse sacramentum, sine verbo af-
feritur. Et sentina Louaniensium mentitur à Christo esse insti-
tutam. Et eadem est sententia omnium Nouatorum hu-
ius ætatis.

Quæ